

Jacob Fabricius


**Rector Universitatis Rostochiensis, Jacobus Fabricius, Collegii Medici Decanus,
Archiater & Professor ordinarius, Ad Trium Medicinae Candidatorum
Disputationes publicas inaugurales, Mensis Octobris die XIIII. in Auditorio maiori
habendas, omnes Academiae cives, perofficiose & permanter vocat & invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742565572>

Druck Freier  Zugang






F. J. 105
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶





RECTOR

Universitatis Rostochiensis,

JACOBUS
FABRICIUS,

Collegij Medici DECANUS, Ar-
chiater & Professor ordinarius,

Ad

TRIUM MEDICINÆ
CANDIDATORUM

*Disputationes publicas inaugurales, Men-
sis Octobris die XIX. in Auditorio majori
habendas,*

omnes Academiae cives, perof-
ficiosè & peramanter vocat & in-
vitat.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXXII.





ΛΕΟΣ ΕΚ ΤΟΥ

πóis veteri veriverbio dicitur, & illud in hominum moribus ac naturâ prudentissimè deprehendit, quisquis istius autor fuit. Excellere enim omnes cupimus, & honore atq; gloriâ decorari, ideoq; ut istius comites reddamur, nulli parcimus labori, atq; illi nos potissimum consecramus studio, quod in precio esse videmus; idq; in quocunq; coetu, in quâcunq; consuetudine hominum, jam ab antiquo contigisse notissimum est, & usq; adeò certum atq; indubitatum, ut etiamnum quotidie observare liceat, rectè peracti laboris individuum comitem esse honorem, ejusq; genuinam veluti mercedem: quin alterum alterum quàm proxumè insequi, neq; tamen apud omnes promiscuè, aut uno vel pariformi modo. Græcorum mos fuit in palæstrâ seu Gymnasijs sæpius exerceri, ludis solemnibus & publicis propterea institutis, ad quos undiq; vocati conveniebant ac confluebant Athletæ, ut gloriam inde reportarent & laudem. Varia verò ista erant certamina, & numero multa, quorum maxumè celebria & quasi panegyrica passim apud rei literariæ præsides commendantur, nomen à locis, ubi instituta fuerunt, fortita, Pythia, Nemeæa, Isthmia, Olympia: Quorum exortum altius repetere, vel & prolixius describere, non est operis aut propositi nostri. Ex his Pythia, in Pythio, Macedonia loco, ob Pythonis, serpentis nocentissimi,

centissimi, vel ut Strabo scripsit, hominis sceleratissimi,
cognomento Draconis, caedem ab Apolline patratam,
hujus honori destinata, & Victores in ijs lauru, additis
pomis ex Phœbi templo desumptis, coronati fuerunt.
Nemæa Herculi, ob miræ magnitudinis leonē in Ne-
mæâ, Achaïæ silvosâ regione, interfectum consecrarūt,
inq; ijs victoriæ præmium ex Apio viridi esse iusserunt.
Isthmia non procul ab Isthmo Peloponnesi, & ferè in
ejus faucibus, in honorem Neptuni à Theseo celebra-
bantur, & certæ pinis istius victores pinu coronaban-
tur. Olympia Hercules ipsemet, circa Olympiam, Eleæ
regionis urbem, postquam Augeam Regem, ejus repur-
gato stabulo, superaverat & interemerat, instituit, &
quinto quoq; anno, in honorem Jovis celebrari voluit,
idq; eo consilio, ut Græciæ juvenus sese pentathlo seu
quinq; certibus nimirum, cursu, saltu, disco &
palæstrâ ibidem exerceret, ijsq; velut meditationibus
vero certamini præluderet; in hisce victor Olympioni-
ces appellabatur, & oleastro coronatus tantum decoris
merebatur, ut non per portas urbis, sed per ruinas mu-
rorum, sublimis curru in patriam reveheretur. Horum
Pythia antiquissima quidem, sed Olympia omnib; præ-
ferebantur, quod summo Deorum Numini essent de-
dicata. Et si autem sub primis dictorum ludorum in-
cunabulis plerâq; jocularia erant, temporis tamen suc-
cessu usq; ad eò exasperata fuerunt, ut spectaculum præ-
buerint horroris & sævitæ plenum, præsertim cum eò
Athletæ quidam devenirent, ut non saltim pugnis, sed
& calcibus & genibus, imò dentibus abuterentur, & ad
cæstû ferro plumboq; affuto, sæpè alter alteri, cranium
diffingeret, ac quod detestandum, ipsam nonnunquã

ex corpore animam elideret: cui malo deinceps etiam
obviã itum Legibus ab Agonothetis constitutis, ne
quis in colluctatione vel pugillatu Antagonistam stu-
dio, deditãq; operã conficeret, ac peremptum vellet,
alioquin ne victor coronaretur, etiam si cædis illatæ ar-
gui, aut damnum datum sarcire cogi minimè potuerit.
Juxta quam Legem, Hicco Epidaurio superato, & in
pugillatu interempto, damnatũ ab Hellanodicis Afty-
palæum Cleomedem, atq; victoriæ præmio multa-
tum, præ dolore ex mentis potestate exiisse, circa o-
lympiadem LXXI. à Pausaniã lib. 2. Eliacor. relatũ est.
Id verò in istis certaminibus in primis laudabili consue-
tudine observabatur, ut omnium decenter peragen-
dorum causã, certi secularium spectaculorum præsi-
des seu arbitri, quos Agonothetas, vel Athlothetas &
Brabeutas appellabant, eligerentur, qui & certamina
ipsa ponerent, ac juramento, coram Jove Horcio, in
curiã Elidensium, præstito, sibi omnia mala, si scientes
fallerent, vel & munere accepto corrumperentur, im-
precabantur: quin & ipsos Athletas & Agonistas, aut
Ascetas seu Gymnastas, eorumq; patres, fratresq; fi-
dem firmare oportebat, priusquam in scamma ad dimi-
candum admitterentur, nihil eorum ab ijs, quod ad-
versus priscum agonis ordinem pugnaret, commissum
iri: Quo facto tandem solemniter ad studium propera-
turos hortabantur verbis, quorum Philostratus lib. 5.
de Apollonio commemorat: *Si ita preparati atq; animati
acceßistis, ut Olympiorum majestate dignum esse, nihil infre-
nuè, nihil illiberaliter acturi, ite sanè intrepidi: Sin qui ad-
estis, non ita exercitati, discedite, quò cuiq; libitum esse. Se-
ria certè & severa disciplina, de cuius Patientiã etiam*
Horatij

Horatij locus in Arte explicari debet, qui *studet operam
cursum contingere metam, multa tulit, fecitq; puer, sudavit &
alsit*, quamq; Seneca in Epistolis tormentum fuisse scri-
psit: quidquid etenim Athletæ patiebantur, & sæpif-
simè cum insigni valetudinis periculo, solius gloriolæ
cupiditate sustinebant, cujus tandem laudabiliter par-
tæ indicium erat tenuis ex ramis & folijs contexta co-
rollula.

Atq; hoc Agonum Græcorum exemplo, ipsi etiam
deinceps Romani excitati, suos Capitolinos ludos in-
stituerunt, triplicis generis, Equestres, Gymnicos,
Musicos, quorum origo Neroni debetur, qui & ex se
illos, docente Suetonio, Neronios appellavit, ubi om-
nium professionum homines, cursores, pugiles, lucta-
tores, gladiatores, confectores ferarum, mimi, saltato-
res, citharoedi, histriones, funambuli, Poëtæ, Rhetor-
es, & plures alij invicem certabant, & qui, tam corpo-
ris robore, quàm præclaro in literis dato specimine vi-
cerant, ab ipsis Imperatoribus coronabantur, eadem
propemodum disciplinæ severitate, quam Græci quõ-
dam in suis ludis adhibuerunt: & hoc quidem multò
meliore consilio, & instituto utiliore, quod culturam
animi corporis exercitijs multis modis antecellere sci-
rent, & quotidie animadverterent: quomodo factum,
ut ad capeffendam omnis eruditionis atq; virtutis oc-
casionem, tum cæteræ gloriæ, tum horum spe præmio-
rum, juvenes passim accenderentur, istiusq; egregia in
publicum edere documenta certatim contenderent.
Neq; dubito, quin tandem agonibus istis, partim sævis
& cruentis, partim ridiculis & inanibus, penitus relictis,
vel rarissimè admodum usurpatis, honestissimæ istæ

animorum exercitationes remanserint, & optimis quibusq; ingenijs, bonarum artium ac partium studia diligentissimè excolendi locupletissima deinceps occasio, sit subministrata.

Quod verò olim in publicis theatris fieri consuevit, ut exantlatorum laborum, & victoriæ Musicæ præmium tribueretur legitimè certantibus, idem postea ad Academias translatum est, earum collegijs etiam potestate laudabiliter pugnantes coronandi, non sine ratione, nec sine vetusti moris exemplo, ab ipsis Imperij Monarchis, penes quos solos ea primitus erat, clementissimè indultâ & concessâ: Atq; ut ordinè administrarentur omnia, ipsæ etiam Academiæ suos Agonothetas & Brabeutas, seu moderatores & curatores acceperunt, qui in Candidatorum mores & profectus sedulò inquirentes, illud negotij sibi datum crederent, curare, ne cuiusquam virtus aut industria promeritū desideret honorem, sed studijs exhaustis cōdigna reportet testimonia. Quam Legem seu consuetudinem in hoc Balthico ad Varnum Roseto, & Medici Collegij Facultas, ab ipsis primis nostratis Academiæ incunabulis, continuatâ multorum annorum serie, fartam tectam, in promovendis, seu ad gradus inaugurandis Artis Medicæ Candidatis, constantissimè servavit, & deinceps, summo Deo Docentium & Discentium labores nobiscum juvante & fortunante, servabit semper, ut in virtutis studio, & Medici cursus studio, gnaviter ac feliciter profecti, unanimi Agonothetarum consensu, peracti laboris præmium & precium capiant, eoq; summâ cum nominis suæ dignitate, tanquam fortissimi Athletæ, læti uantur, fruuntur.

Levia

Levia fuerunt & ludicra ista Ethnicorum certamina, nimis quoq; levia & nimis ludicra data propterea dona & munera, seu brabeja, quæ & ipse Diogenes aliquando in Isthmum descendens, Isthmiorum Solemnia visurus, despiciatui habuit, & prolixè derisit, nihil utilitatis inferre autumans, si quis currentes in stadio præverteret, cum hujus pernicitatem non tantum grandiora animalia, cervus nimirum & equus, verum etiam vel minimus catellus aut lepusculus, non multum properans, facilimè superare possit. Quâ ratione non parum commodi Corinthijs attulit idem, eos elatos, sibiq; plurimum placentes, brevibus corripuens, eorumq; demerentia & ridiculis conatibus aliquid subtrahens, non aliter ut qui inflata & tumensia pungunt atq; aperiunt tubercula, malum hoc modo minuunt. Quanto verò major esse debet honor illorum, qui non corpus, sed animum, non villorem, sed meliorem hominis partem, omni diligentia & cultu exornare satagunt, qui virtutem inclutam, & utilissimarum maximarumq; rerum scientiam, totâ mentis contentione ambiunt, qui in eo exercitiorum genere indefessi versantur, ubi sapientiores & meliores efficiuntur homines, ubi non tam corpus, quam animus formatur ac confirmatur, ubi publicæ privatæq; utilitati ac felicitati optumè maximeq; consulitur. Et hæc homini liberali & ingenuo, præsertim Christiano, præsertim studioso, quam fructuosa & gloriosa sunt certamina, ex quibus veræ victoriæ e-logium, ex quibus præcipuum decus quærendum, spectandum atq; sperandum.

In hisce etiam Virtutis & Doctrinæ studijs hætenus alacriter, fortiter, & constanter sese exercuerunt, Viri doctissimi, ac Medicinæ Candidati solertissimi & dignissimi,

Dn. GEORGIUS VVOLFFIUS Sedino-Pomeranus,

Dn. ANTONIUS HERTZBERG VVismariâ Megapolitanus,


Dn. ADAMUS ORTHMANNUS Parchimo-Megapolitanus,


plurimosq; labores, in non paucis Germaniæ Academijs nocturne dieq; exantlarunt ac superarunt, voluptatemq; noxiam, tanquam animi pestem fugerunt, studia & mores ad meliores Athletarum Leges composuerunt, optimos Artis Pæoniæ Doctores & Professores, publicè ac privatim, varijs in locis docen-


tes,


tes, sedulo audiverunt, Botanicis atq; Anatomicis exercitijs crebro interfuerunt, adeoq; nihil, quod suarum partium esset, neglexerunt, totam vitam suam ita comparantes, ut ad Hippocraticam *Ἐπιποσίωσιν* quam proxime accederent, vel & eammet ipsam penitissimè attingerent; id quod privatim & serio cum illis instituto examine satis superq; depræhendimus, eorumq; cognitâ & perspectâ eruditione tales illos esse pronunciamus, qui tum Rebus publicis & ægris, quorum curæ aliquando præficerentur, usui, tum Academix huic nostræ, & Medico in primis Collegio, decori esse possent atq; ornamento, digni, qui laborum suorum feliciter hucusq; & laudabiliter peractorum fructum, debitæ laudis insignia, publici honoris testimonia, & immarcescibilem inculpatâ vitæ coronam perciperent.

Ne verò nobis solis istorum profectum explorasse videamur, nunc eosdem in publico etiam Auditorio, ad diem XVIII. Octobris sistemus, & potestatem facimus omnibus ac singulis, illorum quoq; industriam, virtutem, atq; doctrinam periclitandi, ac cum illis, placidè ac tranquillè conferendi, ut sic explorati ac probati demum ad *summos Docturæ Medicæ gradus* admittantur, coronasq; non murales, non castrenses, non navales, non deniq; quercinas vel pineas, nec gramineas aut similes, sed gloriam fortiantur ac capestant immortalem. Adeste ergò Patres Civesq; Academici, Viri omnium ordinum honoratissimi, Professores, Doctores, Magistri, divini verbi præcones, adeste Studiosi literatissimi, & die, quem diximus, hujus mensis decimo octavo, ab horis matutinis in ipsam usq; vesperâ, nostros pro Apollinari laureâ, jucundâ ingenij velitatione, decertantes Candidatos spectate, audite, & nisi grave erit, vos quoq; collatis Symbolis, eos exploratos & examinatos date, nostriq; Collegij judicium vestris suffragijs comprobate. Cui nostræ æquissimæ petitioni, si pro singulari humanitate, & erga optimorum studiorum cultores eximiâ propensione locum dederitis, à me, meisq; Collegis mutæ benevolentix quavis studia, ab ipsis autem Dominis Candidatis cuncta debitæ observantiæ & gratitudinis officia vicissim, omni tempore paratissima, recipietis. Benè valete. P. P. Sub Sigillo Decanatus nostri Medici, die VII. Octobris anni Juliani clo. lxx. xxxii.









Levia fuerunt & ludicra ista Ethnicorum cer-
quoq; levia & nimis ludicra data propterea dona-
brabeja, quæ & ipse Diogenes aliquando in-
scendens, Isthmiorum Solemnia visurus, despici-
prolixè derisit, nihil utilitatis inferre aut man-
rentes in stadio præverteret, cum hujus pernicita-
tum grandiora animalia, cervus nimirum &
etiam vel minimus catellus aut lepusculus, non
perans, facilimè superare possit. Quà ratio
commodi Corinthijs attulit idem, eos elatos, si-
placentes, brevibus corripuens, eorumq; dementi-
conatibus aliquid subtrahens, non aliter ut qui in-
tia pungunt atq; aperiunt tubercula, malum hoc n-
Quantò verò major esse debet honor illorum, qu-
fed animum, non villorem, sed meliorem ho-
omni diligentia & cultu exornare satagunt, qu-
elutam, & utilissimarum maxumarumq; reru-
torà mentis contentione ambiunt, qui in eo ex-
nere indefessi versantur, ubi sapientiores & mel-
tur homines, ubi non tam corpus, quam animi
confirmatur, ubi publicæ privatæq; utilitati
prumè maximeq; consultitur. Et hæc homini-
genus, præsertim Christiano, præsertim studio
ctuosa & gloriosa sunt certamina, ex quibus ve-
logium, ex quibus præcipuum decus quærendum
atq; sperandum.

In hisce etiam Virtutis & Doctrinæ studijs hu-
ter, fortiter, & constanter sese exercuerunt, Viri
Medicinæ Candidati solertissimi & dignissimi,
DN. GEORGIUS VVOLFFIUS Sedino-P
DN. ANTONIUS HERTZBERG VVismari
DN. ADAMUS ORTHMANNUS Parchimo-
plurimosq; labores, in non paucis Germaniæ Aca-
que dieq; exantlarunt ac superarunt, voluprat-
tanquam animi pestem fugerunt, studia & mor-
Athletarum Leges composuerunt, optimos Arti-
ctores & Professores, publicè ac privatim, varijs

